



LIBER PRIMVS
DE RERVM INVEN-
TIONE ET TRACTA-
TIONE.



Iuinus ille Plato in Gorgia & Aristoteles τῆ ἐμπειρίᾳ & *Vsu*,
tanquam præstantissimo Magistro omnium artium inuen-
tionem & perfectionem adscribere non dubitarunt. Idque
non immerito. Vt enim *Vsus* singulorum exemplorum ob-
seruatione & inductione, artes omnes procreauit: Ita per
eundem, Artium omnium documenta, tanquam vnica nor-
ma ac regula & explorantur & demonstrantur. Vnde disciplinarum omnium pa-
rens ac moderator, imo lux & anima est, sine qua, vt corpora omnia, ita hæ ob-
scuræ & mortuæ iacent. Præcepta igitur artium tum demum legitima sunt cen-
senda, si magistra experientia & vsu collecta ad similem quoque experientiam &
vsu illustrandum & informandum destinantur.

*Vsus artium
omnium
parens &
modera-
tor.*

Quamuis autem *Ars* & *Vsus* inter se non sint distincta, nec alia artis seu theoriæ,
alia vsus eiusdem documenta requirantur, cum quodlibet cuiusque artis præce-
ptum, suum quoque in se vsu habeat, & quemadmodum omnia doctrinarum
theoremata vsus & experientia quadam communes existunt; ita ad praxin &
vsu aliquem adipiscendum idonea: Attamen cum artes non eodem ordine &
modo, quo conscriptæ sunt, in bonorum auctorum scriptis reperiantur, nec in
iisdem imitandis adhiberi queant; sed pro negotiorum & rerum, quæ tractan-
tur, varietate, diuersimode applicentur: Idcirco non abs re me facturum existi-
maui, si iuniores admoneam, quamam via artium documenta ad excolendam Ra-
tionem & orationem, idque in DICENDO & DISSERENDO diri-
gere valeant.

Vt enim artes omnes ad hosce duos fines, videlicet *Rationem* & *Orationem* ex-
colendam, tanquam vsu præcipuum referuntur, quibus homo non tantum
beluis antecellit; sed homo etiam homini præstat: Ita etiam hisce duobus nem-

A

pe Di-